

cognitam inuestiganda erit longitudo seu spatium aliquod in longum protensum. Quod si igitur tale aliquod spatium, seu planum metiri velis, sic procede.

Suspensio Astrolabio ante oculos, tam diu moue Regulam in dorso eius, donec per utrumque foramen conspicias terminum longitudinis seu spatij propositi, tum vide in quam partem quadrati cadat regula, quod si enim ceciderit præcisè in partem 12, diuidens totum Quadratum in 2. triangula æqualia, spatium mensurandum tantum erit, quanta est statura Mensoris, aut si Mensor est supra turrim, tanta erit, quanta est altitudo turris, quæ per filum demissum mensurata, si contineat 100. pedes, etiam spatium propositum erit tot pedes longum.

Quod si verò Regula cadat in partes scalæ rectæ, spatium mensurandum erit minus statura Mensoris, aut, si Mensor sit in turri, erit minus quam sit turris (intelligendo semper ab oculo mensoris usque ad planum) multiplica igitur staturam tuam per puncta à Regula tacta, productum diuide per totum scalæ latus nempe 12, & habebis intentum. Vt si turris in qua existis, sit pedum 100, multiplica illos per partes à regula in latere umbræ rectæ tactas, v. g. 4, prodeunt 400, quæ diuisa per 12, dant 37. pedes & $\frac{3}{4}$ unius pedis longitud. nimirum spatij propositi.

Quod si 3^o Regula cadat super latus umbræ versæ, uti ferè semper accidere solet, spatium mensurandum erit maius, quam sit statura mensoris, aut turris, in qua Mensor existit: Multiplica igitur staturam tuam seu altitudinem turris per totum scalæ latus, productum diuide per partes à Regula tactas, quotiens erit longitudo spatij propositi. Vt in Exemplo: statura tua v. g. 6. pedum, multiplicata per 12, dat 72, quæ diuisa per partes tactas v. g. 3. dant 24. pedes. Aut sit turris, ex qua metiris 12. cubitorum, quos multiplica per totam scalam, dant 144, quæ diuisa per partes à Regula tactas v. g. 2. dant 72. cubitos, longitudinem nimirum spatij propositi.

NOTA.